

tunt. Timotheus Presbyter de recept. hæret. apud Cotel. tom. 3. pag. 400. *Petriani affirmant hypostasim esse, solas proprietates absque substantia: eamque ob questionem adeo cum secta Damianistarum contenderunt, ut scripta multa utrinque prodierint, quæ certamen eorum testantur.* De Sergii vero Armeni cum eodem Petro dissensionibus, vere scribit hæc S. Sophronius, *vocans eos Tribesæ minoris Doctores, & nec sic ad invicem consonantes, neque eadem similiter cum alterutro opinati: Damianus quidem horum excellenter adversarius, novus autem demonstratus temporibus nostris Sabellius.* Id quod confirmat Abulpharagius in Chron. Syr. a nobis citatus Tom. 2. in Biblioth. Orient. pag. 333. in *Juliano Syrorum Jacobitarum* post memoratum Petrum Patriarcha, his verbis. *Eadem tempestate Edesse Episcopatum orthodoxorum (idest Monophysitarum) tenebat Sergius, Armenus nuncupatus, qui una cum fratre Joanne, in Mar Petri scripta insurrexit, affirmans non esse utique legendum. Ambo nihilominus a Juliano Patriarcha reprehensi fuere, postquam sententias, quibus offensi fuerant, illis exposuisset, vixque ab inani & futili zelo se continere.*

VI. *Athanasius Syrus, & Anastasius Apozygarius*, ille Syrorum Jacobitarum Patriarcha, ad Antiochenam demum Sedem ab Heraclio Imperatore evectus: hic Ægyptiorum Monophysitarum Alexandrinus Patriarcha. De quo Renaudotius in Historia Alexandrina Patriarcharum Jacobitarum pag. 151. „ *Quum vehementer optaret, ut scisso jam a tempore Petri Antiocheni Episcopi, illius quem superius (in Damiano hujus Anastasii decessore) diximus, qui errorum circa Trinitatis mysteria gravissimorum ab eis (1) accusatur, quæ Alexandrinæ Ecclesiæ cum Antiochena communionem sustulerat, coalesceret, statim atque audivit, sedisse illius loco Athanasium virum doctum & sincerum, cujus inter alia extabat oratio de Severi Antiocheni laudibus, ut ejus benevolentiam colligeret, primus ad eum scri-*

„ pfit

(1) Damianistarum, & Petrianorum errores, vide apud Timoth. Presbyt. in recept. hæreticor.